CAPVT XIII.
DE
IVRAMENTO FIDELITATIS, INVESTITVRAE ADNEXO.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quia fides uiri non dependet a iuramento, iuramenti fides potius ex fide iuri: inde dubium non eſt, iuramentum fidelitatis a domino remitti poſſet. Vbi tamen de hac remiſſione non conſtat, ab omni uaſallo, cuiuſcumque conditiones ſit, hoc praeſtandum erit.
2. Quicumque autem eius aetatis eſt, ut ad aliud iuramentum admitti poſſit, ille etiam capax eſt iuramenti fidelitatis.
3. Cum uero in feudo reciproca domini et uaſalli obligatio ad fidem praeſtandam adſit: inde ſi ab una parte fides negetur, nec alter ui iuramenti ad fidem tenebitur, cum ſemper tacite clauſula ſubſit: *rebus ſic ſtantibus.*

1. *Quid praeſtandum a uaſallo, inueſtituram feudi impetrante?*

Iuramentum fidelitatis, quod et ſimpliciter *fidelitas* dici ſolet 2. *F.* 4. *in fin.* Germ. *die Lehens-Pflict.*

2. *Praeceditne iuramentum fidelitatis inueſtituram?*

Regulariter iuramentum inueſtituram ſequitur, 2. *F.* 4. licet promiſſio ſeu oblatio iuramenti praecedere ſoleat, Struu. *cap.* 8. *th.* 6. *n.* 7. praepoſteratio tamen, ſeu ubi iuramentum inueſtituram

turam praecedit, actum ipſum non uitiat. Anton. *Diſp. IIII. th. 8. litt. a.*

3. Poteritne feudum ſine fidelitate concedi?

Sine iuramento fidelitatis poteſt, non ſine fide. Vid. *cap. 2. qu. 22.*

4. Cui praeſtandum iuramentum fidelitatis?

Ipſi domino, uel procuratori eius, ſpeciale mandatum habenti. Vid. *cap. praec. qu. 20. ſeqq.*

5. An uero et heredi domini?

Adfirm. repetendum enim eſt in heredis perſona, etiamſi quis ab initio iurauerit, ſe domino et ſucceſſoribus eius fidelem futurum, Struu. *cap. 10. th. 5. num. 3.* ſicut ordinarie ſucceſſorum nomine haec iuramenta concipiuntur. Vide formulas infra in *Adpendice.* Filio tamen, uiuo patre, ſeparatim non praeſtatur iuramentum Anton. *Diſp. IIII. th. 8. litt. a.* Exemplum in Rege Ioſepho, qui Capitulationem iuramento confirmauit, ſed ipſi nemo ſtatuum adhuc iurauit.

6. Si plures unius feudi domini, cui tunc praeſtandum hoc iuramentum?

Vaſallus petere debet, ut ipſi aliquem eligant: ſi uero conuenire non poſſint, ipſe uaſallus eliget, Vultei. *cap. 9. num. 95.* Ludwell. *Tract. feud. cap. 348.* ita tamen, ut inter ipſos dominos praeeminentiae reſpectum habeat, ratione dignitatis uel aetatis. Anton. *Diſp. VIII. th. 2. litt. a.* Praeſtabit tamen illi uni iuramentum nomine omnium. *2. F. 77.*

7. *Sed quid si plures inter se de domino litigent?*

Nulli iurabit uasallus, si neuter possideat, Struu. *cap. 10. th. 9. n. 6.* Quod si tamen unus eorum in possessione sit, huius caussa potior erit, quia ad fructus possessionis pertinet recognitio feudorum. Vide infra *cap. 17. qu. 17.* Exemplum est in uasallis ducatus Cliuiae et Iuliae.

8. *Quid si plures uasalli?*

Aut indiuisum possident feudum, et omnes iurare debent. *2. F. 26. §. omnes filii.* Nec obstat *2. F. 77.* ibi enim non dicitur, quod unum saltem iuramentum praestandum; sed quod, quamuis plures iurauerint, una tamen maneat fidelitas, et unum seruitium; cum rei, non personarum iurantium, ratio habeatur. Bitsch. *Comment. feud. ad 2. F. 26. pag. 406.* Struu. *cap. 10. th. 3. n. 1.* Vultei. *cap. 8. n. 91 pag. 232.* Solet tamen inter plures aliquis eligi, qui omnium nomine inuestituram accipiat, et iuret, qui uocatur *der Lehen-Träger.* Vid. Besold. *Thes. pract. hac uoce.* Aut diuisum feudum et quot partes, tot fidelitates praestandae, *2. F. 77.* singuli enim pro sua parte iurant, et seruitia praestant proportionabiliter.

9. *An uasallus in persona propria iuramentum fidelitatis praestare debet?*

Neg. sed et per procuratorem, *2. F. 3. §. sed utrum,* qui in principalis animam iurabit, et hinc speciali mandato opus habet. Ludwell. *Tr. feud. pag. 340.* Limitationem uide in *qu. 23. cap. praeced.*

10. *An*

10. An uero uaſallus ſe offerre debet ad iuramentum fidelitatis?

Neg. ſed exſpectare poteſt, donec a domino citetur. Quod ſi tamen uiderit, dominum ſtudio hoc differre, ipſe, ut ad iuramentum admittatur, urgere poteſt. Anton. *Diſp. IIII. th. 8. litt. a.*

11. In quonam forma iuramenti fidelitatis conſiſtit?

Habetur illa *2. F. 6.* et *7.* ubi uaſallus promittit, quod dominum ſemper uelit praeſtare *incolumem*, quoad perſonam, *tutum*, quoad bona, *honeſtum*, quoad famam, atque omne facturum, quod ipſi ſit utile, uaſallo uero facile et poſſibile. Sed hic cuiuſuis loci conſuetudo quam maxime attendenda. Formulae hodiernae uideantur in *Adpendice.*

12. An eccleſia, feudum accipiens, hoc quoque iuramentum praeſtat?

Adfirm. de iure canonico, ubi praelatus nomine eccleſiae iurat. Struu. *cap. 8, th. 6. n. 2.* Negatur de iure feudali. *2. F. 104.*

13. Quid in feudo franco?

Et hic hoc iuramentum praeſtandum eſſe, uerius eſt, cum ſola ſeruitia tantum remiſſa; iuramenti tamen formula paullo aliter formanda erit. Struu. *d. l. n. 4.*

14. Num dominus uaſallo iterum fidelis eſſe debet?

Adfirm. nam fides debet eſſe reciproca. *2. F. 6. in fin.* Vnde Germanorum: *getreuer Herr, ge-*

treuer Knecht. Anton *Disp. VII. th. 1. litt. b.* Supponendi tamen hic sunt termini habiles.

15. An ergo etiam iuramentum fidelitatis uasallo dominus praestabit?

Neg. quia hoc nullibi iure feudali expressum; insuper uasallus accipit beneficium, dominus uero confert; absurdum autem foret, beneficii collatorem ad iuramentum adstringere uelle. Anton. *d. l.* Finckelthus. *Disp. VII. controu. 23.* Imperator tamen post electionem de confirmandis statuum priuilegiis iurat. Vid. *Capitulat. Leopold. art. 3.*

16. An iuramentum fidelitatis et subiectionis unum idemque est?

Neg. quia illud ratione rei praestatur, hoc ratione personae: hinc uasallus non statim subditus est. Struu. *cap. 8. th. 6. in fin.* In multis tamen locis subiectionem simul continet, ut in Marchia. Vide infra in *Adpendice.*

17. Sed quomodo superioritas territorialis principum Imperii consistere potest cum iuramento fidelitatis?

Vis iuramenti illius non ex solis uerbis, sed legibus Imperii fundamentalibus, et consuetudine recepta est petenda, quorsum uerba finalia illius iuramenti collimant: *wie ihm das zu thun gebühret von Rechts- und Gewohnheits wegen.* Cum ergo legibus Imperii, praesertim per *Instr. pac. art. 8. §. gaudeant,* superioritas territorialis confirmata, utique iuramentum, hac *superioritate salua,* est intelligendum. Sed an recte subditi dicantur status Imperii, uide Itter. *cap. 9. §. 43. sequ.* Rhet. in *Iur. publ. lib I. tit. 3. §. 2.*

CAPVT